Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

eandem per nichilominus virgificet gratia per gratiam refeamus / et sic reddantur origini fluenta gratie / ut uberius fluant. Alioquin non ad fontem redeant cessitat et infideles in modico quod maximum est accipere non merentur / Querimus gratiam per mariam / querimus quia que querit invenit et sic frustrari non potest / querimus gratiam sed gratiam apud deum / Nam apud homines gratia fallax / ad inuentum vis hec apud xpm / ad mariam recurre / Exaudiet utique matrem filius / et exaudiet filium pater / Certum quidem illud est hoc officii patris marie commendare memento si non vis sustinere repulsam / Filioli hec peccatorum scala / hec maria mea fiducia / hec tota ratio spei mee / Dico vobis si pie a nobis pulsata i. si pie a nobis fuit inuocata compatietur nobis / non deerit necessitati nostre / Si siquidem non facultas ei deesse poterit nec voluntas / quo regina celorum mitior est et mater misericordie /

De Pietate et misericordia eiusdem beate virginis

Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas / nichil in ea austerum / nichil terribile / tota suauis est plena pietatis et gratie plena mansuetudinis et misericordie affectu compatiendi et subueniendi / fundit affectu inuocantibus eam subuenit conuersis / Denique omnibus omnia facta est / omnibus misericordie sinum aperit / ut de plenitudine eius accipiant vniuersi / Captiuus redemptionem / eger curacionem / tristis consolationem / peccator veniam / iustus gratiam / angelus leticiam / denique tota trinitas gloriam / filii persona humane carnis substantiam / ut non sit qui abscondat se a calore eius / Quibus sese comparabile / quibus clementissimam prebet omnibus denique necessitatibus amplissimo quodam miserat affectu / Ad mariam enim sicut ad medium sicut ad archanum dei / sicut ad rerum causam / sicut ad negotium seculorum respiciunt et qui habitant in celo et qui habitant in inferno / et qui nos precesserunt / et qui sumus / et qui sequuntur / et nati natorum / et qui nascentur ab illis / Illi qui sunt in celo ut resarciantur / et qui in inferno ut eripiantur / qui precesserunt ut prophete fideles inueniantur / et qui sequuntur ut glorificentur / et beatam te dicent omnes generationes / genitrix dei / domina mundi / Regina celi / que omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti / In te enim angeli leticiam / iusti gratiam / peccatores veniam inuenerunt in eternum / Merito in te respiciunt oculi totius creature / quia per te et in te et de te benigna manus omnipotentis / quidquid creauerat recreauit / Merito quidem omnis ore tuo pendet consolatio miserorum / redemptio captiuorum / liberatio dampnatorum / salus denique vniuersorum / Sileat